

quantisper substitisset, Tarracinam usque prosecta, adversa tempestate ad Pontias insulas rejecta fuerat. Salerni vero Princeps Massiliam appulsus, in Gallicas triremes militibus impositis, Numidicam classem præstolabatur, qua socia ad Turcicam contenderet, ut aliquid adversus Neapolitanum regnum, spe rei bene gerendæ inflammatus, experiretur. Horum apparatum fama, ac nuntiis Prorex adductus, Auriam solícite ad Germanorum præsidia subvehenda urgebat. Is Neapolim navigationem intenderat; sed cum in conspectum Pontiarum venisset, quæ parum a Circejo distant, ibique latere Turcicam classem, de qua nondum aliquid per exploratores cognoverat, intellexisset, superveniente nocte, flexo itinere, incitato remigio adeo in altum se extulit, ut jam hostes prætergressus videretur; nisi Dragutes cum sex expeditis, ac selectis triremibus, summo silentio vehementius classiariis nitentibus, Christianorum navigiis institisset, signoque aliis ad insequendum dato, ad pugnam Auriam lacecessisset; qui neque numero, neque viribus par, proris aversis, celerrime se subducere, atque in Cæsareanos portus se recipere contendit. Turcæ totam noctem, ac sequentis diei partem persecuti, septem ex illius triremibus cepere, Germanos septingentos una cum Madrutio eorum præfecto in servitutem rede gere. Ceterum cum iis in locis classem Gallicam, ut sperabant, non invenissent, septimo kalen. septembris vela in Hellepontum dedere; dum interea Salerni Princeps, triremibus instructis, Massilia discedens, quinto kal. supervenisset, ac Turcicam abeuntem, nunquam intermissa navigatione, frustra insecutus fuisset. Gallicæ triremes ad Chium, Aegæi maris insulam, hyemavere, Salernitanus in sequentem annum de Neapolitanorum regno invadendo consilia distulit. Veneti, senescente autumno, maritimarum gerendarum rerum tempore elapso, Theupolum imperatorem, ac Justinianum legatum ad urbem vocavere; Andream Duodo, alteri legato, classis præfecturam detulere.

Ac ne annus, nullo inflicto christianæ reipublicæ a communibus hostibus vulnere, elaberetur, Turcæ cum ingenti exercitu Daciam ingressi, Temisvarium vi cepere. Eo capto, Aldana Hispanus, qui Lippæ præerat, perterrefactus, bellico apparatu flammis absumpto, magna ex parte munitionibus solo æquatis,

1552

*Hispanorū
triremes a
Sinane ca-
ptæ.*

*Gallicæ tri-
remes cum
Salernitano
Principe in
Aegæo mari
Stephani
Theupoli,
classis impe-
ratoris, in
patriam
reditus.
Temisvarii
a Turcis
captum.
Lippa ab
Aldana His-
pano dere-
lictæ.*